

adeo libera et ampla forma sicuti nos aut aliqua nostrorum nobilium progenitorum aliquas cartas patentes literas insecrimenta donationes aut diplomata concesserunt cuius subdito nostro cujuscunque qualitatis aut gradus cuius societati aut communitati tales colonias in quacunque partes extraneas deducendi aut terras extraneas investiganti in adeo libera et ampla forma sicut eadem in hac praesenti carta nostra insereretur Facimus etiam constituimus et ordinamus dictum Dominum Willelmum Alexander haeredes suos aut assignatos vel eorum deputatos nostros ~~HEREDITARIOS~~ LOCUM TENANTES generales ad representandum nostram personam regalem tam per mare quam per terram in regionibus maris oris ac finibus praedict in petendo dict terras quamdiu illie manserit ac redeundo ab eisdem ad gubernandum regendum et puniendum omnes nostros subditos quos ad dictas terras ire aut eadem inhabitare contigerit aut qui negotiationem cum eisdem suscipient vel in eisdem locis remanebunt ac eisdem ignoscendum et ad stabiliendum tales leges statuta constitutiones directiones instructiones formas gubernandi et magistratum ceremonias infra dictas bondas sicut ipsi Domino Willelmo Alexander aut ejus praedict ad gubernationem dictae regionis et ejusdem incolarum in omnibus causis tam criminalibus quam civilibus visum fuerit et eisdem leges regimina formas et ceremonias alterandum et mutandum quoties sibi vel suis praedictis pro bono et commodo dictae regionis placuerit ita ut dictae leges tam legibus hujus regni nostri Scotiae quam fieri possunt sint concordēs Volumus etiam ut in casu rebellionis aut seditionis legibus utatur militaribus adversus delinquentes vel imperio ipsius sese subtrahentes adeo libere sicuti aliquis locum tenens cujusvis regni nostri vel domini virtute officii locum tenentis habent vel habere possunt excludendo omnes alios officarios hujus regni nostri Scotiae terrestres vel maritimos qui in posterum aliquid jurisclamei commoditatis auctoritatis aut interesso in et ad dict terras aut provinciam praedict vel aliquam inibi jurisdictionem virtute alicujus praecedentis dispositionis aut diplomatis praetendere possunt Et ut viris honesto loco natis sese ad expeditionem istam subeundam et ad colonas plantationem in dictis terris addatur animus nos pro nobis nostrisque haeredibus et successoribus cum avasamento et consensu praedict virtute praesentis cartae nostrae damus et concedimus liberam et plenariam potestatem praefato Domino Willelmo Alexander suisque praedict conferendi favores privilegia munia et honores in demerentes Cum plenaria potestate eisdem aut eorum alicui quos cum ipso Domino Willelmo suisque praedict pactiones vel contractus facere pro eisdem terris contigerit sub subscriptione sua vel suorum praedict et sigillo infra mentionato aliquam portionem vel portiones dictarum terrarum portuum navium stationum fluviorum aut praemissorum alicujus partis disponendi et extradonandi erigendi etiam omnium generum machinas artes facultates vel scientias aut easdem exercendi in toto vel in parte sicuti ei pro bono ipsorum visum fuerit dandi etiam concedendi et attribuendi talia officia titulos jura et potestates constituendi et designandi tales capitaneos officarios balivos gubernatores clericos omnesque alios regalitatis baroniae et burgi officarios aliosque ministros pro administratione justitiae infra bondas dictarum terrarum aut in via dum terras istas per mare petunt et ab eisdem redeunt sicuti ei necessarium videbitur secundum qualitates conditiones et personarum merita quos in aliqua coloniarum dictae provinciae aut aliqua ejusdem parte habitare contigerit aut qui ipsorum bona vel fortunas pro commodo et incremento ejusdem periculo committent et eosdem ab officio removendi alterandi et mutandi prout ei suisque praescript expediens videbitur Et cum hujusmodi conatus non sine magno labore et sumptibus fiunt magnaque pecuniae largitionem requirant adeo ut privati cujusvis fortunas excedant et multorum suppetiis indigeant ob quam causam praefatus Dominus Willelmus Alexander suisque praescript cum diversis nostris subditis aliisque pro particularibus periculationibus et susceptionibus ibidem qui forte cum eo suisque haeredibus assignatis vel deputatis pro terris piscationibus mercimoniis aut populi transportatione cum ipsorum pecoribus rebus et bonis versus dictam No~~m~~ Scotiam contractus inibunt volumus ut quicunque tales contractus cum dicto Domino Willelmo suisque praescript sub ipsorum subscriptionibus et

sigillis